

Atra se humorem collegerit, aut sub tunicæ spacio crassior humor currēs phlyctænam pariat. Myocephalon morbus est, cum tunica priore iuxta irim, exulcerationis uitiõ exesa, secunda prociderit, ut ceu muris caput referre uideatur. Staphyloma dicitur, quando oculi pupilla cum inflammatione & dolore attollitur, & album colore, & acino uuæ simile redditur. Hypopyon uniuersam irim pure occupat, uel eius dimidiũ. Rhexis, id est ruptio, est exulceratio ab ictu, uel alia quadam causa, in alto totas subinde membranas diuidens, ut etiã humores, quibus uidendi facultas administratur, effundat. Cicatrix appellatur, ubi nigro oculi ex alto ulcere membranæ crassities superuenit, & color albior apparet. accidit quoq; albæ mēbranæ dictæ, sed non perspicitur. Albugo nihil à cicatrice differt, nisi q̄ ex ulcere maior cicatrix, simul & crassior in iride nascatur, quam Albuginem nominant. Clauus est carnosus nigri excessus solidus, cum leui albaq; uelut cicatrice, frequenter etiam in albo nigro coherenti consurgens. Suffusionem quidam interpretantur, cum humor quidam in pupillam destillauerit, concreueritq; sæpe adeo, ut uisum offendat, uel in apparentibus hebetet. Glaucoſis & humoris crystallini in album atq; aqueũ colorem mutatio, cuius gratia uisus impeditur. Mydriasis dicitur, cū pupilla quidẽ nihil colore uariat, dilatatur aut magis, q̄ natura poscat, ut iridis circulo fiat proxima, & uisioni noceat. Phthisis, id est tabes, appellat, dum pupilla arcte coit, uel stimulo aslimilis fit, tum hebetior, tum rugosior, aut ex imbecillitate periculosa, aut ex capitis dolore uehemēti. Coufusio dum humores oculorum suo loco non consistunt, proprium ordinem seruantes, sed huc illucq; feruntur. Hebetudo, summa uisionis sine causa euidenti offensio. Nyctalopes uocantur, qui die uidēt obtusius, sole occiduo acrius, nocte magis adhuc uel contra, die parũ, uesperis aut nocte prorsus nihil. Myopes uicina uident remota non item. Suppuratio humor exiguus in pupilla collectus, qui difficulter euaporat ac discutitur, suffusione sicciõ. Abruptio est, qn̄ meatus à cerebro & meninge in oculum descendens, ex ictu capitis, uel casu ex alto diruptus est ita, ut absolutam cæcitatem afferat. Coincidentia, ubi in meatũ, qui à basi cerebri ueniens, oculo uidendi facultatem tribuit, humor adaperto uel rupto uase incidit, obturatq; eum: unde cum dolore uisus offenditur. Symptomasis accidit, cum meatus ex atrophia, uel resolutione fit arctior, conciditq;. Quod uitiũ ut rarum est, sic remedijs ægre cedit. Carbunculus, crustosum est ulcus, depascens cum fluore, & bubone, aliquando etiam cum febris, interim in toto corpore, interim in oculis factum.

De exterioribus capitis affectibus Cap. 16.

Circa uero capitis exteriores partes consistunt ij, qui inter longos ascripti non sunt. Caluarie autem fracturarum differentie quinque existunt, rhogme, engysoma, ecpiesma, apechema, & camarosis, distentio futurarum, hydrocephalon, achores, pityriasis, meliceris, atheroma, fauus. Porrò eam partem, quæ capillo tegitur, & mentum occupant alopecia, ophiasis, caluities, madarotes. Pili omnes fluunt, extenuantur, quassantur, scinduntur, squallescunt, in puluerẽ rediguntur, subflauescunt, canescunt. Oculorum morbi separatim conscripti sunt. Aurium, contusio, pterygomata, fractura chartilaginis, sordium uel exuperantia, uel defectus, grauis auditus, surditas, puris fluor, fluxus graueolens. Nares excutiant ozena, polypus, ulcus, fractura, peruersio, compressio, simosis. Os infestat gingiuarum putredo, dentium erosio, eorumq; dolor, & cum è sede sua labant, † (abscessus epiglottis,) epulis, parulis, aphthæ, crustæ, tonsilla, uua, ficus. Faciem occupant ephelis, uari, lentigo, ossium fractura, distentio commissurarum, eluxationes maxillæ inferioris à superiore gena. Cervicem habent synanche, cynanche, strangulatio, uertebraũ expulsiõ, strumæ, steatomata. Humeros male habet uerticis ipsorum fractura distentio. Iuncturam cubiti occupant meliceris, atheroma, steatoma, humor aqueus. Brachiale, ganglia. Digitos manus & pedis chymethla, reduuia. Quamcunq; corporis partem inflammatio, œdema, inflatio, duricies, abscessus, ulcus purum, ulcus sordidum, cauum, carne supercrescens, crustosum, siccum, fluens, subpascens, callosum, fistulosum, mydesis. i. putredo, phyma, dothien, therminthes, phyge thlon, chalaza, phagedæna, phlyctides, carbunculi, epinyctides, erysipelas, herpes. Mammillas peculiariter, tum naturalia sexus utriusque uexant carcinomata. Quamlibet corporis partem impetunt carcinoma occultum, carcinoma ulceratum, therioma. Inguina, bubones simplices, phymata purulenta iuuadunt. Genu, gonyalgia, rheumatismi, tofi. Poplites steatomata, anchyle. Tibiam, uarices. Suram, scirrhomata, chironia ulcera. Summam pedis partẽ, nigredines, necrosis, podagra, fistulæ. Calcem, squamæ.

De cutis affectibus. Cap. 17.

CVtem, totiusque corporis partes exagitant lepra, psora, alphas albus, alphas niger, leuce, impetigo simplex, impetigo agrestis, dracontialis, acrochordones, thymi, myrmecia, clauis, calli. Quædam horum ex podagra & articulari morbo, quædam ex sese oriuntur. Sedem afficiunt hæmorrhoides cæcæ, fissuræ, procidentia, condylomata, pylides. Aduenit etiam toti uulua procidentia, cum in exteriora procidit. Scrotum habent enterocele, cirsocele, epiplocele, sarcocele, porocele, steatocele. Totius corporis ossa patiuntur cariem, sphacelum, fracturam sine uulnere, uel cum uulnere, ecbyrosin. Fracturarum differentie quinque sunt. Prima schidacedon facta, per rectitudinem: Altera per transuersum, cauledon. Tertia raphani in morem

al. abscessus in lingua.

in morem raphanedon. Quarta caryedon. i. in modum nucis. postremo alphitedon, hoc est in spe E
ciem farinae. Nigrescunt interim ossa in fracturis, interdum sine his. Articulis omnibus accidunt,
paragogæ, è sede propria motio, eluxatio, præterluxatio, colligatio, porositas, rheumatismi, disten-
tio commissurarum.

De Chirurgia. Cap. 18.

Chirurgia est alieni, ut proprie uocant, per incisiones, concinnationesq; cum uia quadam &
ratione ablatio: ad hæc uulnerum atq; ulcerum curatio: quæ in corpore humano administra-
tur. Primariæ eius actiones duæ sunt, compositio, & diuisio. Harum rursus multæ sunt species.
Compositionis quidem, fracturum ossium coniunctio, & deligatura, luxatorum repositio, inte-
stinorū, quæ prociderunt, collocatio, ad hæc, uulnæ, & recti intestini. Abdominis suendi ratio, γα-
σσοραϑία Græci appellant. Curtorum applicatio, siue adductio, ut in naribus, labris, atque auri-
bus. Diuisio species, simplex incisio, præcisio, hypospatismus, periscythismus, angeologia,
excisio, adustio, rasio, limatio, sectio per ferram. Simpliciter sectione in abscessibus uniuersis utimur.
Diuidendum uero membrum est recta linea, non transuersa. Præcisioni locus est in alis, inguini-
bus, natibus, & ano instar myrti adhibitæ. Hypospatismo in fronte cum oculi fluunt. Periscythif-
mo in sincipite, & colis pellicula, quam præputium uocant, nigricante. Excisioni in membris ni-
grescentibus, & capitis fracturis. In omnibus autem, quæ ad ossa pertinent, alijsq; multis ustio, ra-
sio, limatio, ferræ usus utiles sunt. Vitiis candentia ferramenta requirit, proprie in ijs iam malis
omnibus, quæ depascunt, & oculis rheumaticis, coxis, uel etiam interioribus. Etenim in tabidis
candentia ferramenta assumuntur, & in lienosis: tum in brachijs, quæ in alam excidere consueue-
runt: insuper in ægilope, in nigricantibus, uel ijs, quæ refecantur propterea, quod aperiantur uasa:
postremo in alijs sanguinis profluxionibus. Hæc itaque in capite consistunt, quæ à manu auxi-
liantur. Fracturarum autem capitis genera sunt quinque: Rhogne, engisoma, ecpiesma, apoche-
ma, & camarosis. Nonnullorum sententia additur & sexta, trichialis, per summa ossium inscul-
ptio. Hydrocephalon quatuor species obtinet: Vnam cum intra cerebrum & inuolucrum eius
humor sublidet: Alteram, cum intra membranas & ossa: Tertiam, cum intra os, & pericranium:
Reliquam, ubi os & cutem interiacet. Circa cutem oriuntur meliceris, atheroma, & extrinsecus
alopeciasis. Itaque alopecias laniamus, meliceridas & atheromata myrti modo, uel simpliciter
summam cutem diuidentes, deinde tunicas digitis auellentes, cum ipsis humoribus, qui insunt,
auferimus. Hydrocephalon sub cute & pericranio duabus uel tribus rectis lineis incidentes eua-
cuamus. Quod sub ossibus est, excidimus. Quod tandem intra meningem cerebrumq; incidit, G
insanabile est. Omnis fracturarum caluariæ species excisione administratur, excisoribus id, quod
in ossibus factum est, auferentibus. Veteres igitur modiolis per circumuersionem secantes ipsa
excidebant. Posteriores terebris usi sunt, ægros in sedile, tum sectores collocantes. Hac tempestate
excisoribus tantum sedem exhibent. Ex oculorum uitijs hæc manus præsidium expetunt, trichia-
sis, hydatides, encanthides, ungues, staphylomata, suffusiones, fluores diuturni, & excedentes, pal-
pebrarum calculi, coagmentatio oculos ambientium in idem, ægilops. Palpebras itaque relaxa-
tas consuimus fasciolam ab ipsis auferentes, quantam commensuratio iuxta palpebrarum figuram
postulat. In palpebris non relaxatis, pilos per acum illaqueamus. Hydatidas singulatim tollimus.
Encanthides, ungues, & staphylomata præcidimus. Staphylomata quidem filo transmissis abla-
queantes. Ungues & encanthidas uel lino uel hamulo attrahimus. Hypochyma diducimus pun-
gentes circa iridem ex minori angulo, donec acus penetrarit, & loco uacuo excipiatur: deinde per
obliquum ad iridem perducentes summa eius parte compactum circa pupillam humorem deduci-
mus, deligantes & stringentes, ut ne aspiciat. Hypospathismus, periscynthismus, & angeologia
fluorem listunt. Hypospathismus itaq; tribus sit supra frontem diuisio. Post ferramento (quod
spathomelam appellant) per corpora, quæ interiacent, transmissis. Periscynthismus est, cum transuer-
sis lineis coronæ modo frons secatur. Altera ipsius parte paulo superius, quæ tempora sunt, quedam H
triangula amputantur, Græcorum litera Δ similia. Angeologia perficitur uasis latentibus a tempo-
re ad tempus in profundum diuisis. Palpebrarum calculis medemur magna ipsarum diuisione, qua la-
pides integre auferimus. Conatas palpebras scalpello aperientes († sicis medicamentis) diduci-
mus. Ægilopas ad os usq; excidentes ferramentis candentibus adurimus. Sunt autem, qui loco ferra-
mentorum candentium terebra os forant usq; ad nares: Polypum, qui in naribus nascitur, angusto
specillulo ab osse resoluimus, & rasorio cultello postea radices demerimus. Ozenæ raro ad sanita-
tem proficiunt, curatio uero earum in iisdem uersatur. In ore epulidas, & parulidas diuidimus, ubi sup-
puratio se ostenderit. Uuas demissas, siue collapsas nimium, incidimus, uolsella prehendentes. Den-
tes eximimus sacificatione circa eos facta. Adenas excedentes naturam in tonsillis aduersis pla-
gis amputamus. In ceruice steatomata, & strumas, cute diuisa, & digitis auulsa, tum uasorum com-
plexu dissoluto tollemus. Ganglia, quæ in metacarpis seu postbrachialibus magna ex parte eue-
niunt, & mulieribus lana uictum quaritantibus plerumq; extundimus, interim ceratis mollita cu-
ramus. In alis phymata & strumas præcidimus, similiter in inguinibus. Abscessus in spacio inter-
costali diuidentes non uniuersim, sed moderate, paulatimq; puris excretionem molimus. Sunt, &
qui adurant

α. πλῆθ. i.
subiectis lina=
mentis.

A qui adurant eos. Carcinomata in multis corporis partibus, maxime circa mammam oriuntur. Præcidimus ubicunq; fuerint, & ferramentis peruruntur nõ admodum ignitis. Non defunt, qui rasorijs ferramentis ignitis simul secantibus, & adurentibus utuntur. Exomphali, omnes, quibus umbilicus extuberat, appellantur. Differentia triplici comprehenduntur. quidam em pneumatomphali, quasi qui spiritum sub umbilico collegerint. Alteri enteromphali, quibus intestina ad umbilicum procedunt. Reliqui hydromphali, qui aquam sub umbilico gestant. Omnes differentia manu sanantur, lino duplici per acum immisso, & umbilico circumstricto. Hydropicos paululum sub umbilico a sinistris pungimus ferro instar myrti facto donec inania penetrauerit. Apellarum duplex curatio, horum, qui intrinsecus excoriantur, illorum, qui extrinsecus orbiculatim in summa cute diuiduntur, ut præputium intus attrahatur. Qui per angustias præputij exere glandem nequeunt, summa eius pellicula, quantum licet, retracta, dein callis, qui in conspectum prodeunt, scalpello per summa auulsis curantur. Hypospadia sunt, qui ex generatione, urinae iter inferius sub dicto calle habent: curantur autem summa glande perforata & canaliculo immisso. Qui dicuntur atreti, siue foramen habeant tenue, siue nullum omnino, auxilium capiunt hoc pacto: Acuto specilli immisso adaperimus, deinde digitum submittentes undiq; absoluimus. **L**apides in uesica habentes secamus, calculum in uesicæ collum adigentes, incisio autem lapide utentes semel superiacetes particulas diuidimus, & ferro ad id idoneo, quod propterea *λιθολαβον* Græci appellant, calculum auferimus. Quibus fluere urina quoquo modo cœpit nimis, rhyadicos appellant, si magnus callus fuerit, præcidendo ipsum curamus. Quibus urina propter copiam non redditur uesica distenta, ut remittere se nequeat, per fistulam cathetera urinam elicimus. Porrò huic instrumento ad Romanæ literæ, s, figuram facto, quod in urinae iter usque ad uesicam demittitur, inditur filum, quod in summo habens lanæ paululum procumbens, urina madefactum, deinde foras extrahitur, quod urina tanquam ducem uia sequitur. Tumorum, qui scroto accidunt, septem species sunt, hydrocele, procele, poroccele, epiplocele, cirsocele, enteroccele. A quibusdam hæc complicata adduntur, hydrenteroccele, sarcoepiplocele. In his, qui hydrocele laborant, scrotum diducendum est, & ubi maxime uenosum est, inuenta que tunica, humorem ea comprehensum euacuare oportet, & tunicæ superuacanea auferre: in quibus sine tunica est, excernere humorem sufficit. Steatocelas, & porocelas similiter, sinistra manu scrotum extendentes secare conuenit, postea in superficie diducere, donec adipi, uel callo, uel alij cuicumque incidamus, & hoc auferemus. Pari modo sarcocelici tractantur. Oportet autem subiacentem carnem albicantem præcidere, rubram excoriare & detrahere, ac tunc reliquias adimere expedit. In cirsocelis extendes uaricem hamulo in superficie diuisum, exceptumq; auelles, relicta ceu digiti parui latitudine: reliquum extensum absca. Cura uero non mediocris adhibenda est in neruis illis complicatis, *κρεμασπρας* Græci uocant, & testiculis. Enterocelicos, & epiplocelicos ita secamus, reprimentes intestinum, uel omentum diligenter, mox seminarium meatum auferemus, quam fieri poterit, commode: Sin minus, peritonæum attrahentes, & laqueo excipientes præcidimus. Hæmorrhoides lino duplici per ipsarum bases transuentes constringentesq; post horas duas abscidimus. Fistularum nonnullæ perforatæ non sunt, os tantum habentes. Quædam perforatæ uel intus in anum, uel extrinsecus. In perforatis in anum, oricularium spicillum immittes, mox digitum in sedem afferens, intestinum attrahes mucrone spicilli. idq; amputabis, ab inferiore loco incipiens, similiter & in exterioribus ani. In non perforatis spicilli acumine omnes sanas particulas penetrare conuenit. Sunt, qui loco recisionis præcisionisq; partium foramina interiacentium lino byssino in summitate spicilli conuerso diuisa auellunt, intermedias partes quotidie circuntendentes fila amputant, & callum mollientes medicamento Ægyptio cicatricem inducunt. Hic modus primum ab Hippocrate conscriptus est. Varices in cruribus primum extrinsecus incisuris per totum insignitos, deinde inclinantes summa cute prehensa, ipsam primam diuidimus, & mox hamulo attractum uaricem illigamus, quo post omnes diuisiones facto, uel uaricum extractorio instrumeto, quod Græci *κροσβληον* uocant, eximimus, summa discindentes, uel bicipiti spicillo exceptum, lino per ipsius uentriculum secundum eersionem extrahimus. Dracontia uaricibus similia sunt, magnum uero dolorem, dum paululum prominentes mouentur, concitant. Oportet autem diuisis, ut uaricibus, summam cutem detrahere, sicq; præcidere. Clauos, callos, acrochordonas, thymos, myrmecias excidentes adurimus, uel psorico illinimus. Curta in naribus, auribus, oculis, hoc modo ad naturalem habitum restituantur: Labra scalpello undiq; deradentes cruentamus, deinde adducetes densius suimus: iuxta maxillas autem ex utroq; labrorum extremo, qua inuicem coeunt, intus & extrinsecus diuidimus, distendimusq; uolsellis, ne caro inde relaxetur. Quæ auribus uel naribus curta accidunt, cum fuerit chartilago diuisa, producere aliam conuenit, sicq; consuere lanæ filo.

De artubus constractis, partibusq; a suo articulo dimotis. Cap. 19.

FRacti artus ex distensione quidem in rectum restituantur: ex deligatura callo obducuntur. Caluariæ ergo fractiones quot modis accidant, quomodoq; curentur, diximus. Et, si in facie fractura contingat, ut in capite sanare conuenit, osse, quod affectum est, exciso. Sciendum autem est, quæ ossa fracta curationem non recipiant. Si igitur nares constractæ sunt, non recte possunt restitui.

restitui. Aures etiā frangi scribit Hippocrates, quoniā & chartilago imitatur os, ægerrimeq; in E
 pristinam figuram reducitur. Verum, si ex palato fracturam accipiant nares, sima, ut inquit, eua-
 dunt & insanabiles. Porrò, si clauicula frangatur, uel iugulum, uel costa aliqua, & hæc frequenter
 refarciri non possunt. Epithemata in iugulo adhibenda sunt, ipsumq; ab ala ad alam deligandum
 est. Cæterum, si quod maiorum membrorū fractum sit, uel minorum partium aliqua, ut digitorū
 nodi, uel ossa brachialis, uel postbrachialis, uel tarsi, omnia quidem in magna frustra caledon, uel
 raphanedon, & schidacedon franguntur: minutatim caryedon, uel alphitedon. Omnia ergo fracta
 deligantes, extendentesq; admodum uehementer & ualide diducere, & multum inuicem separa-
 re oportet, ut iustum situm, pristinamq; figuram recipiant. Non autem in rectum omnia restitui
 debent, sed ad proximū, cui coherēt, membri figuram. At, si os rectum sit, in rectum: si obliquum,
 uel alio quouis modo curuum, simili modo. Modus autem deligaturæ ad omnia præparandæ hic
 est. Fascia est linteis ueteribus faciēda, quæ tum latitudine, tum magnitudine mēbro respondeat.
 Latitudine quidem in maximis digitorum quatuor, uel quinque. In tenuioribus non minus digi-
 torum trium. Deligaturæ hæc ratio. Prima fascia ter nobis in fractura sursum uersus fertur ut plu-
 rimum. Altera dimidio longior ab eodem loco incipit, euariantibus deligationibus deorsum qui-
 dem tribuitur, sed ad superiora reducitur. irrigari hydrelæo, uel œnelæo, uel glycelæo, aduſq; tri- F
 duum expedit: post cerato diluto & liquido, ut oleum crassum uideatur. Verum fascia ita parēt,
 ut non nimium premat, ne membrū emoriatur, sed quoad adiaceat apteq; adhæreat: neq; sit laxa, ut
 contineat & repellat influxus, ne oboriatur inflammatio. Post splenia triplicia quadrupliciaq;
 adhibeantur, quæ artus crassitiem impleant: quo nec sibi mutuo incidant, nec dissidentes inter-
 uallum relinquunt. Ab his fascia conuenit triplex, quæ à fractura deorsum ueniens, sursum rursus
 feratur, ibiq; finiat. Solutiones membri primæ tertio quoq; die faciendæ: post septimum uero die
 bus intermissis pluribus, prout necessitas exiget. Inde licebit ferulas circumponere, sed ita, ut ad
 ultimam fasciam lana apponatur, & ex interuallis ferulæ collocentur, cum membrum ab inflam-
 matione est prorsus immune, curua ipsarum parte extrinsecus sublata leui autem intus deligatu-
 ræ iniecta, quibus superligabuntur uel chordulæ, uel nauticum filum. In fracturis cum uulnere,
 pro his omnibus splenia duplicia uel triplicia facientes per singula crassitiem membri circularim
 implebimus, ut termini ipsius inuicem incumbentes separentur: totumq; membrum his cōtinea-
 tur. Primum sanè ex prædictis imposta madida esse cōuenit: deinde lanas ppositas, & fascias post
 lanas habere per subiectam sedē canalī apertī. Maxime is modus deligaturæ confert ijs, quæ al-
 phitedon fracta sunt cum uulneribus, & multa contusione musculorum, in quibus etiā linamē- G
 ta liquoribus competentibus madentia imponenda sunt. Linamentorum sunt quinque species,
 aliud flexile, aliud rasile, aliud uulsorium, aliud lucernarium, aliud priapiscotum appellant. In lu-
 xatis uero distentione quidem antecedēte opus est: repositio pro quolibet membrō propria assu-
 mitur. Omnia in Hippocratico subsellio restituntur, simul & tensa, & commissa. Caput luxatur,
 nam prima ceruicis uertebra coarctatur ad secundam. Maxilla inferior ex iugali, quod est ad ma-
 las, excidit. solis autem manibus in sedem suam compellitur, hinc illincq; ad superiorem adducta.
 Humerus in alam tantum excidit, capitulo rotundo & leniter cauo, quod Iones ἀμβλω uocant, cū
 distensione in sedem reducitur. Sunt & aliæ (inferiores,) quas palæstricas nominant. Cubitus in
 omnes quatuor pares excidere potest. si in exteriorē interiorēue, cum distensione reponimus:
 si in priorem uel posteriorem, sine distensione restitimus: nam hæc ex subita inflexione quodam
 imposito flexuræ cubiti consistit: Illa, extensione uehementiori. Brachiale, & postbrachiale, ad
 hæc digiti luxati, modica distensione reponuntur. Quæuis spinæ peruersio, curuitas, & inclina-
 tio, & tortuositas instaurari non possunt. Femur ad coxas uel intro ad colem, ut extra ad opposi-
 tam partem prolabitur, retro ad clunes, & ante in inguina. atq; hæc quatuor differentia immedica-
 biles. Genu quoq; crebro in exteriorē partem prolabitur, & facile ex flexura restituitur: minus H
 in interiora excidit reditq;, multo rarius in posteriora, in anteriora nūquam: quippe ossa, propter
 patellā quæ continet (nisi & ipsa fracta fuerit) nullo tempore elabuntur. Talus modice prolapsus
 ægre restituitur. Si magna sit luxatio, & uiolenta, ne sustinet quidem instaurationem. Periculosa
 enim nimis, & si cum uulnere accidit. In digitis nihil ultra fieri debet, quàm quod in ijs, qui sunt
 in manu, positum est. Omnes uero coagmentationum eorum separationes, ut in facie, cubito &
 radio, tibia & sura, metacarpio, brachiali palma, in ueterem figuram restituntur. Porrò, quæ mē-
 bra nigrescunt, uel depascuntur, siue ex fracturis, siue uiolenta astrictione, tota sæpe refecamus.
 Similiter in ijs facimus, quos uenenata feræ momorderunt, mox ferramentis prope candentibus
 pactionem sistimus, post ferramenta porrò uiridi cum sale illinimus. Deinde ubi cru-
 sta ablata fuerint, tanquam ulcera curamus. Venenatorum morsus
 neq; cito ad cicatricem ducimus, sed frequentius ulce-
 rum fluorem ex eis concitamus.



GALENI QVOMODO MORBVM
SIMVLANTES SINT DEPREHEN-
DENDI LIBELLVS.

Ioanne Fichardo Francofordiano interprete, ad Græci
exemplaris fidem recognitus.



B V M multæ sint causæ, quas propter ægrotare se homines simulant, uideat & in istiusmodi omnibus ueritatis inuentio medico conuenire: quandoquidē idiotæ etiam operæ precii ducant à uero tales simulationes dignoscere. Etenim phlegmonem, erysipelas, & œdemata per pharmaca extrinsecus apposta de industria excitata, Medicus ab ijs, quæ ex ipso proficiscuntur corpore, deprehendere potest atq; discernere, sicuti & sanguinē ex oris partibus fluentem, ab eo, qui ex stomacho, uentre, organisue spiritalibus prouenit. Nam deprehensi iam quidam sunt, qui sub finem tussis, quoties uellent, sanguinem excrearent, uenula quadam in hoc prompte circa gingiuas aperta, sicq; comparata, ut, quando uideretur, lingua illam fugētes, statimq; post tussientes, sanguinem quasi ex inferioribus redditum expuerent. Sic & delirare nonnulli, desipereq; se simulauerunt, cum alios potius stultos ostenderent. Illa uero omnia & deprehendere, et inter se discernere, ad medicos pertinere uulgus existimat. Fit autem sæpe, quòd dolor quispiam ita simuletur, ut ingens fereq; intolerabilis uideatur. Equidem ipse quendam noui in concionem à ciuibus uocatum, colico dolore torqueri se finxisse, ut ne accederet, cum hoc ita ei cōducere uisum esset. Et ego quidem eo tempore istud hominem agere, quod & postmodum ipse mihi confessus est, suspicabar. Fomenta igitur tum illi adhiberi iussi. Verum ille, quanq; aliàs uel in minimis supra modum esset meticulosus, hic succurri sibi nequaquã magnopere precabatur: & quidē paucis ante diebus nouit eodem morbo laborantē, à me, hausto pharmaco Philonio, curatum: id quod à me omnibus modis petiuisset, si reuera doluisset. Sed & exitus istud declarauit. Quoniam dimissa concione, extemplo conqueri, tanquam extra omnem mox dolorem constitutus, desijt. Quin & ipsa præterea uiuendi ratio, quæ præcesserat, talis erat, ut colicā in eo dispositionem nō posset generasse: quando ex indigestione infrigidationeq; proficisci solent huiusmodi passiones: quorum in hoc neutrum præcesserat. Hoc igitur, quòd non ratione antea actæ diætæ morbus esset, potuisse cognoscere, medicæ erat experientia opus. Alterum uero istud, quòd ob concionem simulare hæc illum suspicatus eram, medicinæ proprium non fuerat, sed rationis eius, quæ communis dicitur: quam, licet omnibus communis sit, pauci tamen exactam perfectamq; habent, ut inuenire in quoq; negotio possint, quid faciendum dicendumue sit. Tenendum ergo memoria, quod diximus, experientia medicæ si coniungatur externa hæc facultas, alia quoque similia fingentes, ualidosq; dolores simulantes deprehendere licere. Quemadmodum ipse nuper, cum utroq; genu uehementissime dolere se quidam diceret. Seruus autem is erat ex eorum ordine, qui dominos iter facientes cursu comitantur. Vnde **D** statim doloris eius fictionem deprehendi, ex eo partim suspicionem sumens, quòd ad illam forte diem Dominus ex urbe profecturus erat: partim ex adolescentis moribus, qui talis esset, ut facile in huiusmodi mentiretur. Ceterum & conseruum insuper quendam ei familiarem rogabam, num adolescentis ille mulierculæ alicuius amore teneretur, quam propter esset uerisimile, longiorem profectionem Domino adornate, hoc illum studere, ut relinqueretur. Et ita res habebat. Hæc igitur extrinsecus adinueneram. Circa uero genu eius maximus quidam tumor existebat, qui facile idiotam perterrere potuisset, sed rei perito manifeste per thapsiam excitatus apparebat. Hæc autem cognitio Medicinæ propria erat, non ab extrinsecus assumptis proueniens. Eiusdem quoq; erat experientia, sciuisse, nihil eorum, quæ antecesserant, tale fuisse, quod eum excitare tumorem tam repente potuisset. Neque enim plus, quàm conueniebat cucurrerat, neque uapularat ab aliquo, neq; saltauerat, neque fossam transiliens id incommodum passus erat: tum redundantis humoris indicium quidem nullum erat, quòd antea neq; splendidius, neq; abundantius uixisset. Ad hæc autem & doloris speciem me, qualisnam esset, percontante, neq; statim, neq; prompte, neq; eadem respondebat. Quare profecto domino cum pharmacum imposuissem, quod dolorem quidem nihil leniebat, uerum thapsiæ solum qualitatem infrigidare posset, post horam unam illum contententē habui, nihil amplius se doloris sentire. Quòd si e phlegmone dolor is natus fuisset, non

Isagogici.

1 solum

solum per istud in frigidatium non resedisset, sed etiã uehementior redditus esset. Liquere igitur **E**nunc arbitror, quod si medicinalis experientia externis istis ratiocinationibus, id est coniectationibus, coniungatur, sufficiens sit ad ueri fortisq; doloris dignotionem. Potest uero quis & ex eo, quod lenius morbum ferant, indicium non uehementis doloris sumere. Accidit enim istud omnino saepe, (non animaduertentibus ijs, qui morbi uehemẽtiam simulant) quod in alium se aliumq; habitum illi, qui uere laborant, magnitudine uidelicet doloris agitati, transijciunt. Præterea, si reuera dolore uehementi premantur, quod uis perpeti auxilium parati sunt: hortanturq; ipsi ultro medicos, ut, quiduis ipsis libuerit, agant, quo affectus curetur. Sin uero mediocriter, aut nequaquam omnino dolent, huiusmodi auxilia refugiunt, neq; longiora ieiunia, neq; mordacium pharmacorum oblationem perferentes. Quæ sola quidem, cum grauius se laborare dicunt, huiusmodi dispositionibus conferre, nos illis affirmare oportet: quemadmodum & sectiones, & unctiones, & omnis cibi potusq;, quorum desiderio eos trahi uidemus, abstinentiam. Morbum igitur simulantem doloris magnitudo arguet, deprehendemusq; cum ex alijs multis, tum medicinalis experientia notionibus: in quibus sunt languere, extrema in frigidari, pallere: interdum quoque frigidum sudare, & pulsus non tantum inæquales, (quod quidem ijs etiam, qui mediocriter dolent, accidit) sed etiam plures minorum, quam magnorum: obscurorum, quam uehementium habere: Præterea interrogatum de doloris specie, eam respondere, quæ affecto membro propria sit. Quædam namq; species dolores longe lateq; se diffundentes habent: quædam uero tanquam fixos, uinq; tantum parti inhærentes. Sic aliæ pungunt pulsantq;: aliæ quasi diuellunt: aliæ quodammodo obstupescere, aliæ grauare uidentur: nonnullæ deniq; uomitus. quædam uentris perturbationes, quædam caliginem inferunt.



GALENI ARS MEDICINALIS

Nicolao Leonicensi interprete.

Ad Græcorum ueterum exemplarium fidem ab Augustino
Gadaldino diligenter recognita.

ARGUMENTVM LIBRI.

Medicam artem constituit ex corporum signorum, & causarum definitione.

Quot numero doctrinæ, ac de definitiuæ dignitate. Cap. I.



TRES sunt omnes doctrinæ, quæ ordini inhærent: Prima quidem ex notione finis, quæ per resolutionem fit: Secunda ex compositione cõstat eorum, quæ ex resolutione fuerant inuenta: Tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus. Licet autem huiusmodi doctrinam appellare non tantum definitionis dissolutionem, sed & explicationem, ut nonnulli uocarunt, uel resolutionem, uel diuisionem, uel (ut nonnulli alij) explanationẽ, uel expositionem, ut alij. Conati sunt & Herophiliorum quidam talem facere doctrinam, quemadmodum Heraclides Erythræus. Conati sunt & eam, quæ per compositionem, & ipsi Herophilij, & quidam Erasistrati sectatores, & Athenæus Attaleus. Neminem tamen ante nos eam, quæ oritur à notione finis, scripsisse comperimus, ex qua omnes artes constituuntur: sed illam quidem alio pertractauimus loco. Hic uero definitiuam faciemus doctrinam, quæ quantum ab ea, quæ ex resolutione cõsistit, & dignitate & ipsa methodo linquitur, tantum & ad totius compendium, & ad singulorum memoriam præstare inuenietur: sufficienter enim ac facile memoriæ commendantur uniuersa ex definitionis dissolutione, quoniam totius artis capita in se optima definitio complectitur, quam quidam substantialem uocant, ex aduerso distinguentes alijs, quæ t noematicæ, id est notionales appellantur. Illæ siquidem ab ijs, quæ accidunt rebus definitis: hæ uero ab ipsa essentia constituuntur. Elaborata autem est à nobis particulatim & in pluribus conscripta tractatibus totius medicinæ contemplatio, quibus uti quis possit ad triplicem doctrinam. Nunc uero definitiuam aggrediemur. hoc unum apponentes, quod solum capita, & quædam ueluti conclusiones eorum, quæ alibi latius (hoc est *κατὰ διεξοδὸν*) sunt demonstrata, nunc à nobis dicentur.

al. δινοματι-
αγῶν. i. nomina
les. uide lib. 4.
de differentijs
pul. cap. 2.

Quid

A

Quid sit medicina. Cap. 2.

Medicina est scientia salubrium & insalubrium & neutrorum. Nihil uero differt, & si quis loco insalubrium, ægrorum dixerit. Nomen uero scientiæ communiter, & non proprie accipere oportet. Salubre autem, & insalubre, & neutrum unumquodq; tripliciter dicitur: hoc quidem ut corpus: hoc autem ut causa: hoc uero ut signum. Etenim corpus, quod sanitatem natura suscipere aptum est: & causam, quæ eadem efficere uel conseruare: & signum, quod potest indicare, hæc omnia salubria Græci appellare consueuerunt. Eadem ratione & susceptiua morborum corpora: & eosdem efficientes, conseruantesq; causas: & signa indicantia, insalubria uocant. Nec aliter corpora neutra, causas, signaq; dixerunt. Et secundum quidem primam rationem atq; præcipuam, causarum salubrium est medicina scientia: propter eas autem & aliarum, secundo quidem loco insalubrium: & tertio neutrarum. Et post has eodem modo corporum, primo quidem & hic salubrium: secundo loco insalubrium: tertio neutrorum. Itidem de signis dicendum. In actionibus autem prima quidem est corporum cognitio, quæ habetur ex signis, post hæc causarum, quæ in ipsis sunt, inuentio.

Quot modis dicatur effectiuum, indicatiuum, & susceptiuum. Cap. 3.

B

Sed quoniam & effectiuum, & indicatiuum, & susceptiuum, dupliciter unumquodq; dicitur, hoc quidem simpliciter, hoc uero ut nunc, nosse oportet medicinam esse utrorumq; scientiã. Ipsum uero simpliciter duobus dicitur modis, & quod semper, & quod ut multum: & utrorumq; medicina est scientia. Neutra uero & causa, & corpus, & signum, & quod simpliciter dicitur, & quod ut nunc, tripliciter unumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum est particeps: hoc uero, quia utriusq; hoc uero, quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipsorum secundum rursus duobus dicitur modis: aliquando quidem, quia utriusque contrariorum ex æquo est particeps: aliquando uero, quia plus alterius. Est uero & in tota definitione, si uerba animaduertimus, ambiguitas quædam, quam & ipsam dissoluere oportet. Cum enim dicitur medicinam esse scientiam & salubrium & insalubrium & neutrorum, significatur, & quod omnium particularium, & quod quorundam, & quod qualium. Sed omnium quidem indefinitum quoddam est atq; impossibile: quorundam diminutum atq; artificio carens: qualium uero artificiosum pariter atq; sufficiens ad omnia artis particularia: quod etiam dicimus in medicinæ definitione comprehendî. Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualia nam sint, & salubria, & insalubria, & neutra: post hæc de signis & causis differemus.

C

De corpore salubri Cap. 4.

Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu bonam habet temperaturam in simplicibus & primis particulis, atq; in his, quæ ex illis componuntur, instrumentis est commensuratum. Salubre uero nunc est corpus, quod in præsentî est sanum. est uero & hoc eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam & cõmensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam. Ipsius uero salubris simpliciter corporis tale quidem est semper id, quod est optima temperantia præditum, ac maxime est commensuratum: ut multum autem, quod à constitutione optima non ualde admodum deficit.

De corpore insalubri. Cap. 5.

Insalubre uero simpliciter est corpus, quod ab ipso ortu naturæ, uel in consimilibus partibus malam habet temperaturam, uel in instrumentarijs incommensurationem, uel utrunq; uitium. Insalubre uero nunc est corpus, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat, Neque obscurum est, quod & hoc ipsum eo, quo dicitur, tempore ægrotans, uel in consimilibus malam habet temperaturam, uel in instrumentarijs incommensurationem, uel utrunq;. Est uero & semper insalubre, quod ex ipso naturæ ortu uel pessimam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis

D

omnibus, uel aliquibus, uel his, quæ obtinent principatum, uel in instrumentarijs incommensuratum existit: similiter autem in his, uel omnibus, uel aliquibus, uel illis, quæ obtinent principatum. Ut multum uero insalubre est corpus, quod ab huius quidem uitio recedit, nondum tamen in medio constitutum est.

De corpore neutro. Cap. 6.

Quoniam uero & neutrum corpus tripliciter dicebatur, unum quidem quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps: aliud autem quoniam utriusque: aliud quoniam aliquando huius, aliquando uero illius, iuxta primum significatum, neutrum erit corpus, quod exquisitè medium est saluberrimi & insaluberrimi corporis: & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturæ ita est constitutum: hoc uero ut nunc, quod in præsentî tempore remedium exquisitè existit saluberrimi atq; insaluberrimi corporis: ipsius autem simpliciter, semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat: ut multum autem, quod nonnullas recipit mutationes. iuxta uero secundum significatum, neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu naturæ contrariarum simul est particeps dispositionum, aut scilicet in una parte, aut in duabus differentibus: in una quidem, si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, uel etiam secundum utraq;, sed in formatione, uel magnitudine, uel numero partium, uel situ delin-

llagogici.

1 2

tu delin-

tu delinquat: aut contra in his quidem recte se habeat uel omnibus, uel quibusdam, peccet autem E
in temperatura: In differentibus uero partibus, & iuxta omnes oppositiones potest quidquam si-
mul particeps esse contrariorum. Et semper quidem tale, quod per omnes aetates in eodem perse-
uerat. Ut multum uero, quod aliqua ex parte euariat. Ita uero & nunc neutrum erit corpus iuxta
secundum significatum, quia uel in parte una haec quidem sibi salubria existunt, illa uero insalu-
bria, uel in differentibus ita afficitur partibus. Iuxta uero tertium significatum, neutrum erit cor-
pus, quod aliquando quidem salubre, aliquando uero insalubre per uices existit, ut nonnullis ac-
cidit, qui in pueritia salubritate corporis uigent, cum uero ad iuuentutem peruenerint, insalubres
euadunt aut contra. In uno autem tempore, quod ita est neutrum, exquisitè quidem consistere ne-
quit: latius uero si accipiatur, contingit. Nouimus autem, quod nunc dupliciter dicitur. Salubre
igitur & insalubre & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale unum quodque sit, sufficien-
ter explicauimus. De signis uero deinceps dicendum.

De signis salubribus. Cap. 7.

Sunt autem & ex his salubria quidem, & quaecumque praesentem indicant sanitatem, & futuram
aegritudinem, & praeteritam memoriae subiiciunt. Insalubria uero, quae & praesentem indicant
tra dicuntur, quae neutram dispositionem ostendunt, praenunciant, & memoriae subiiciunt, & quae
nihil omnino de dispositionibus indicant, uel nihilo magis salubrem, quam insalubrem disposi-
tionem ostendunt: & quae partim quidem salubrem, partim uero insalubrem indicant dispositio-
nem: & quae aliquando quidem salubrem, aliquando uero insalubrem, & haec quoque secunda tria
tempora, ueluti salubria & insalubria. Vocantur autem nonnunquam a uetustioribus medicis haec
omnia, signa praenunciatiua, quamuis praesentium ac praeteritorum sint indicatiua. Vnus uero non
paruus est ex praenunciatiuis atque indicatiuis, minor autem ex his, quae memoriae subiiciunt. Cum
igitur sint salubria corpora, haec quidem simpliciter, haec uero ut nunc, quae & sana dicuntur, salu-
brium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiã, quoniam nonnulla quidem sem-
per, nonnulla uero ut multum essent talia. Et semper quidem, quae optimam constitutionem for-
tita sunt: ut multum uero, quae non magnopere ab illa recedunt.

De signis optime constitutionis. Cap. 8.

Horum autem dignotiones sumendae sunt ab ijs, quae secundum essentiae rationem ipsis insunt,
& ab ijs, quae ex necessitate consequuntur, operationibus symptomatibusque. i. calibus, quos
etiam sanè accidentia proprie uocamus. Ab essentia quidem ipsa eorum, quae optimam habent con-
stitutionem, commensuratione consimilium quidem in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate: G
Instrumentalium uero in quantitate ac numero eorum, ex quibus componuntur, ac praeterea
formatione, situ partium singularum ac totius instrumenti. Ex his uero, quae ex necessitate conse-
quuntur consimilia, quantum quidem attinet ad tactum, a mediocritate, quae in mollitie ac duritie
consistit: quantum uero ad aspectum, a colore bono, & leuitatis atque hispiditatis mediocritate. In
operationibus, a perfectione, quam & ipsarum uirtutem appellamus. Ab his uero, quae instrumē-
tarias partes consequuntur, a commensuratione & pulchritudine omnium totius corporis instru-
mentorum, ac praeterea earum, quae ipsis insunt, uirtute operationum. Optime igitur constitutio-
nis corporum signa indicatiua sunt haec. Eorum autem, quae ab ipsa deficiunt, & adhuc tamen sa-
lubria existunt, nonnulla quidem in consimilium temperatura uitium aliquod paruum habent:
nonnulla uero in instrumentariorum commensuratione, & hoc quoque perexiguum. Accidit autē
hoc uel in omnibus, uel in aliquibus, aut in utrisque. Vitiatorum uero genera eadem sunt cum his, quae uir-
tutem perficiunt, temperatura quidem in consimilibus: numerus autem, & formatio, & magnitu-
do, & situs in instrumentarijs: utrisque uero communis unitas, quam & ipsorum continuitatem ap-
pellamus. In his autē ipsis generibus sunt corporum insalubrium uitia secundum utrumque insalu-
britatis significatum. Terminus autē, qui utrumque distinguit, est operationum lesio sensibilis. Quae ue-
ro ab optima corporum constitutione breue aliquid deficiunt, reuera quidem & ipsa in aliquo
sunt offensa, non tamen id sensu comprehenditur. Distinguntur uero ex eo, quod magis mi-
nūsue in operationibus existit, ac quia causis insalubribus non aequè resistunt. Quae autem sim-
pliciter insalubria sunt corpora, distinguuntur ob id, quod facile a causis insalubribus superantur,
& quoniam in uirtute operationum multum deficiunt. In medio autem amborum collocantur
neutra, tum quae exquisitè appellantur, tum quae cum latitudine quadam. Quo fit, ut tota sanitatis
latitudo in tres partes, quarum singulae latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autē pri-
ma quidem salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quae deinceps se-
quuntur, quae iam aegrotant corpora, quae sensibilibus operationum laesionibus distinguuntur. Quae
igitur dolore infestantur, & quorum motus sunt deprauati, aut omnino interierunt, manifestas
habent determinationes. Quae uero imbecilles edunt operationes, in magnis quidem distantijs
facile discernuntur, in paruis uero ambigua sunt: atque idcirco in eo genere noxae collocatur disposi-
tio, quae neutrius contrariorum est particeps, quam & ipsam neutram dicimus appellari: Ita tamē
ut horum omnium sensus sit iudex, non ipsa natura rerum inspicatur. periculum enim esset ne in
dogma